

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Henr. Ioh. Nepom. Crantz S.C.A. Maiestat. Consiliar.
Institut. Med. Et Mater. Medic. Vindob. Profes. Pub. Ord.
Acad. Imp. Nat. Curios. Et Societ. Botan. Flor. Sodal.
Materiæ Medicæ Et Chirurgicæ ...**

Crantz, Heinrich Johann Nepomuk

[Wien], 1765

Cassis Nona Venenorum Specie Halitus Perimentium.

urn:nbn:de:gbv:45:1-10196

CLASSIS NONA
V E N E N O R U M
S P E C I E H A L I T U S
P E R I M E N T I U M.

ARSENICALIUM AURA vide p. 33. &c.

CARBONUM accensorum in loco clauso VAPOR omnibus hominibus, & animalibus lethalis per plurimos tristes casus deprehensus fuit; an evaportat noxii aliud de carbonibus? aeris supra carbones accensos undulatio, ponderis iactura, id suadent, cum ex carbonum libris sedecim vix libra una cinerum obtineatur, ut igitur illius noxii, quod causticum vocat MEYERs, libræ quindecim exhalent; atque id etiam in iisdem experimentis evidens est, quæ comprobant salis alcalini solutionem causticam reddi magis ardente aut recenter exstincto, injecto carbone. Altera quæstio est, an id exhalans aeris elasticitatem destruat, hac destructa perimat, aut per se lethale sit? an illico ipsam captivat mentem? Natura huc usque dicta non est, effectus funesti tum ab his, tum a glebarum ustilium Belgis familiarium usu observati.

Remedio est aeris permixtatio, adiungit venæ sectionem, vomitum, spirituosa LODBERG, FRIIS Prod. Act. Havniens. In omnibus suffocationis generibus, in quibus in pulmones sanguis congeritur, ut a fumo carbonum, & sulphuris, & candelæ, ab antrorum pestiferorum vapore, ab aere non renovato, a vapore

I 2 fo-

fodinarum carboniarium, ex aere in pulmones vi inflato magnam spem alit *Maximus HALLERUS Element. physiolog.* T. III. exemplum addens ex *essays of a society at Edimb.* T. V. n. 55. *Phil. Trans.* n. 475. *Art. XI.* A frictione irritationē partium nervosarum, a corporis agitatione, volatilibus naribus admotis, venæ sectione, etiam aquæ frigidæ perfusione salus, teste *Cl. BOUCHER Journal. Encyclop. Juillet. 1760.* Præservationis scopus adimpletur salis in carbones ignitos veteri de more inspersione.

LITHANTRACUM VAPOR. Omnia infensissimum, maxime is, qui totam fodinam carbonariam obsidet; cum enim & accensum lumen, & ardentes carbones extinguat, eodem, ac in antlia pneumatica educto aere, phænomeno, respirantes illico afficit, & brevi extinguit.

Miseris remedium propositum in *Actis Upsal.* 1740. TRIEWALD, vultque protractum in apertum aereum in ventrem reponendum, osque foraminis, in terra effosso cespite patenti, obvertendum, cespite caput tegendum; inde ut plurimum levari, superflite sola quandoque capitis gravitate, afferit IDEM; iam in *Philosoph. Transact.* propositum legimus, idem remedium. Etiam in *Actis Upsal.* alia, ut & in *Edimburgensis methodus curandi habetur.*

Præter priorem hunc fodinarum carboniarum vaporem, alter sub forma telaruin aranearum visibilis, lampadis flamma inflammabilis, effectus tonitrii, & pulveri pyro similes producens, observatur, de coqu sequentia experimenta in *Philosoph. Transact.* instituta habentur. Eques LOWTHER raro successu vesicam bovinam hoc vapore implevit, & Academia Londiniensi misit; post mensim adaptato ex fistula tabacaria

tu-

tubulo vesicæ orificio, & accensa candela admota, vapor sensim expressus inflammabatur, ut spiritus vini, nec, quam diu in vesica vapor superfuit, flamma extinguita est; hac occasione arte similem vaporem produxit *Cl. MAUD*, dum uncias octo aquæ communis drachmis duabus olei vitrioli miscuisset, & in matratio longi colli his adderet limaturæ ferri drachmas duas; ex effervescentia enati vapores, vesica excepti inflammabantur ad candelam, ut priores, quæ res dein clarissimis viris, tum in naturam huius vaporis, causam motuum terræ, montium ignivomorum, ut & subterraneorum incendiorum, inquirendi ansam dedit.

Verum quia etiam hic fodinarum carboniarum vapor lethalis est, qui lustrandus sit, in *Actis Upsal.* iterum edocet *Clar. TRIEWALD*. Iubet descendere aliquem in fodinam linteo madido obvolutum, tum in terrain pronum baculo, cui in extremitate accensa candela alligata est, cum querere locum, quo hic erumpit; quo invento flammarum toto loco accendi tumultu horribili tonitruante, quo cessante aerem depuratum esse asserit. Ventilator *SUTTONI* hodie in Anglia, & Gallia in eundem scopum adhibetur.

Sitne lithantracum fumus utilis, ut contendit *HOFFMANNUS*? Sitne consumptionis in Anglia causa, ut plurimi alii statuunt? Carbonum fossilem fumum aptissimum purificando aeri, & huic elasticitatem conciliando, maxime si is humidus, & spissus fuerit, inde patescit, quod Halæ Magdeburgicæ scorbutus, febres exanthematicæ, malignæ, tum etiam phthisis, morbi admodum frequentes fuerint ante usum lithantracum in fodinis salinis huius urbis, ab illo vero tempore quo his copiose admodum utuntur, disparuerint quasi, *HOFFMANN*. *Opuscul. Phys. Chemic.* Aer vaporibus

bus sulphureis scatens etiam phthisicis plurimum utilis,
ut Tabi montis prope Neapolim FROMOND *Risposta
apologet.*

Octo libræ carbonum fossilium ex Scotia allatarum,
e retorta ferrea, igne per gradus aucto, dein vehe-
mentissimo, dedere spiritus volatilis urinosi, odore
spiritum fuliginis referentis, uncias tredecim, unciam
salis volatilis unam, olei odore & colore olei petræ
uncias sex, URB. HIERNE l. c. Tent. IV. *de sale vo-
latili urinoſo in regno minerali.* Sed etiam acidum
coninent, IDEM Tent. V. licet neget Cl. POTT.
vestigia enim acidi in carbonibus & fuligine, demon-
strari posse in oleo, his in corporibus latente, WAL-
LERIUS credit.

Ultimo nec id ignorari debet duum generum lithian-
traces esse, hos aut manifesto sulphure aut pyrite in-
structos, illos puriori bitumine infectos, quia accen-
si sulphurei nihil exhalent POTT *Send-Schreiben 1760,*
& in universum in duas componi carbones hos soliles
posse, in eam, quæ in combustionē cineres, & eam,
quæ scorias largiatur. LEHMANN. l. c.

AER DIU INCLUSUS. Etsi is iam per se
omni viventi lethalis sit, etiam flammarum candelæ extin-
guat, ut tristes primum casus, iisque numerosiores,
quam recenseri possint, secundum tentamina, & expe-
riimenta physica evidentius commonstrant, est tamen
exhalationibus aliis inquinatus adhuc longe deterior
& certius mortiferus. Quæ res quemadmodum claris
stat experimentis, ita sub diverso capite ordinis causa
dicenda. Sed cur demum ipse conclusus, purus, adeo
lethalis aer? an destruitur incarceratus? an illud adeo
necessarium in illo emoritur vitæ pabulum? an perit
elasticitas? difficilis quæstio.

AER



AER DIU CONCLUSUS ANIMALI EXHALATIONE GRAVIDUS. Si corporum animalium effluvia admodum corruptibilia sint, docet aqua balnearum aliquantulum servata, cadaver olens, ARBUTNOT, *of air*, hæc aerem conclusum corruptientia magis, maiorem ei labem conciliare debent. Aer puteorum, cystarum, cadavera continentium, quoties non subitas induxit mortes? Carcerum aer mortales sœpe produxit ægritudines, ut ampio casu, licet tristii, evinicit BACO VERULAMIUS. Sepulturum aer, maxime cavernarum subterranearum, in ecclesiis plurius lethalis, numerosis observationibus Cl. SAVAGE *Æt. Upsal. 1742* Cl. HAGUENOT. *assemblée publique de la société Royale des sciences de Montpellier 1747.* Cl. BRUHIER *de signis mortis.* Aer Xenodochiorum ab omni tempore admodum insalubris deprehensus, dum inclusus, unde varia consilia corrugandi aerem Xenodochiorum a Cl. DU HAMEL proponuntur *Acad. des Sciences 1758.* & loco aperto, & aere perflato, Xenodochia ædificantur, & extra urbes, sepulturæ exstruuntur. Imo ne hodie quidem mortuus in ecclesiis sepeliri unquam deberet; vide omni numero absolutam dissertationem *combien il est dangereux d'enterrer dans les églises, & d'habiter près des cimetières.* GAZETTE salutaire 1761. N. IX. X.

AER CONCLUSUS EXHALATIONIBUS MINERALIUM CORRUPTUS. Etiam admodum noxius est. In fodiinis promontorii Bonæ Spei adeo teter exhalat vapor arsenicalis, ut nullum animal circum circa vivere possit. In Carniola ex sola hac causa morbi regnant epidemicci. In insula Ternata mons est ignivomus aerem mire corruptens, & incolarum sanitati infestus, BOYLE. Sulphurea ex lapicidinis ad aquas Pyrmontanas effluvia, aves interimunt, Cl. SEIP. *Trans.*



Philosoph. Nro. 448. Etiam a sulphureis exhalationibus vegetabilia infici, & gramen gregi id comedenti insalubre factum *Trans. Philos.* tum fodinarum aliarum noxiæ exhalationes recensentur *ibidem*. Etiam ad thermas Boulidou Perol sterilitatem camporum observari, nec sata crescere cerealia, & illa, quæ crescunt, venenato succo imprægnata deprehendi, *Ct. HAGUENOT. Assemblée publique de la Société Royale des sciences de Montpellier 1743.* An ad hunc, vel primum numerum, revocari debent pestifera illa effluvia in Grotto del Cane iuxta Neapolim? illa noxia putei Perol? *HAGUENOT.* l. c. putei Holsatiæ? quem describit *Ct. HANNAEUS Gazette Salut.* Nro. XLII.

CONCLUSUS FODINARUM AER, VAPOR. Qui etsi in antecedentibus pestifer pronunciatus, hic magis, quia conclusus, criminandus venit. Et quidem ut res clarius illustretur, in nonnullis fodinis quatuor vaporum species inveniuntur. 1. est communis dicta, quæ, accensæ candelæ flamma in orbem coacta, sensim dein extincta, cognoscitur: effectus huius in corpus humanum sunt, aniini deliquia, convulsiones, suffocatio; raro mors, si aer externus concedatur. 2. est floris pisti, ob odorem sic dictus vapor, vix lethalis. 3. Omnium pestifera, forma sphærica, cute cincta, in summa fornicis parte magnis aditibus patente, suspensa, omnes suffocans diffusa; hæc igne lustratur accenso. 4. Species fulminans est, comburens, lethalis saepè, & hæc fodinis carbonariis etiam familiaris est. *Trans. Philosoph.* Nro. 117. In fodinis Hungaricis similes lethales saepè vaporess observantur, ut quotidiana convincit experientia.

Saluti est tubus satis capax, & amplius, adversus loco, ubi is erumpit, ventilator, tormentum missile, sunt etiam alia. Igne non semper bene aer in fodinis lustratur, *Philosoph. Transact.*

FU-



FUSORIARUM PLUMBI FODINARUM VAPOR. Plurimi mortalibus lethalis, inductis post fævissima symptomata comate, aut apoplexia, WILSON. *Society of Edimb. T. I.* Aves occidas, necata pecora, circa has pabulum quærentia, IDEM. Præservativa remedia sunt, oleosa, pingua sercula pro ientaculo, IDEM. curativa, vina emetica, purgantia, clysinata, IDEM.

FUMUS ACCENSI SULPHURIS. Omnia animalia respirantia necat; demonstravere hinc inde hanc veritatem incauti chemici, & doliarii; idem profitetur incuruentum phæsanorum furtum: pulices ita necari, raro experimento BROWNE LANGRISH. *Experiments with sulphur.*

VINI FERMENTANTIS HALITUS gas sylvestre, quod ob vim heteroclitam capi non posset, HELMONTIO dictus, apoplexiæ, morte absolutis fatuitatem, paralysim, hemiplegias, & alia mala caufat imprudentius haustus, ut ubique locorum, ubi mustum in cellis vinariis fermentat, annua observatione confirmatur.

ATMOSPHÆRA ANIMALIUM PUTREFACTORUM. Cadaverum fœtor sèpe vomitus, febres excitavit, quod infinitis confirmatum exemplis. Hominum non sepulchorum strages peste teste LIVIO. Ambros. PAREO, fecere. Sed etiam ex ingenti locustarum acie, accumulata, putrefacente, similia narrat DIODORUS SICULUS, & Magui POMPEII exercitum ex equorum non tuinulatorum vi peste correptum, HISTORIA.

ATMOSPHÆRA PUTRIDARUM AQUARUM. Ex hac peste vexata SELENIS, quam EMPEDOCLES sustulit teste PLUTARCHO, dum continuum

illis defluxum conciliaret. Alia vide apud CL. CLIFTON WINTRINGHAM. a *Treatise of Endemic diseases explainig the different Nature and properties of airs, situations, soils, Waters, Diet, London 1752.*

ATMOSPHÆRA ÆDIFICIORUM RECENS EXSTRUCTORUM RECLUSA. Ex calce extincta, in ædificiis recenter exstructis, venenati aliquid exhalat; rheumatismos, arthritidem, & varia alia mala inde observavit CHENEAU, hemiplegiam immedicabilem I. B. VAN SWIETEN, alii alia.

ATMOSPHÆRA VEGETABILIA NOXIORUM. Anagyridis nemora fœtidissima cephalalgiam sœpe induxere, LINNÆUS *de Viribus plantarum.* Dracontium odore intolerabile, IDEM. Lethalis etiam fungorum noxiiorum odor, BOERHAAVE. Hippomane Europæos quam plurimos Surinamum appellen-tes solo halitu occidit, LINNÆUS. Iuglandis, sambuci umbræ, ex veterum traditione etiam nobis suspectæ sunt, & febrem synochium induxere, LINNÆUS, & gravis iuglandis umbra etiam alvum fistit, IDEM. Linii, & Cannabis effluvia, ut & maceratorum in aqua vegetabilium horum potum, lethalia esse, & ea instinctu naturali animalia omnia aversari CL. NEUHOLD. Nov. Act. Physic. Med. Acad. N. C. Vol. III. Nerii flos cubiculo inclusis, morte dormientium sœpe infamis fuit, LINNÆUS *de Odoribus Medicamentorum.* Pos-sent adhuc dici quam plurima.



MA-

III. In plethoricis, cacochymicis.

IV. In rheumaticis, arthriticis, podagricis doloribus, tum aliis vehementioribus QUESNAY. de la suppuration.

V. In omni inflammatione obfirmata ut etiam in idiopathica; si aliquid præcedentium vetat, KULBEL. in inflammatione maligna, QUESNAY, tum glandulosa, IDEM.

VI. In evacuatione nimia sanguinis, naturali, vel naturæ solemini, ALARY.

Sunt vero repercutientia ex multiplici, ratione qualitatis, materie deponpta, hæc refrigerando, illa adstringendo, tum & nonnulla anodyno effectu, repellunt, unde classis horum triplex.

I. REFRIGERANTIA.

EX REGNO AQUEO.

Aqua simplex frigida.

Nix,

Glacies.

EX REGNO VEGETABILI.

Acetosa.

Alfine.

Ana-

